



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Magni ad eum concursus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

rint, Christoque, abiectis curis inanibus, nomina dederint.

Quotidianis colloquijs hoc vnū vel maximè agebat, vt confluentium pectora ad orationem, ad sacramentorum frequentiam, aliaue pietatis opera accenderet,

Magnos in pietate progressus, Philippi industria, studioq; habuit Ioannes Baptista Saluiatus è prima nobilitate vir: erat hic Catherinæ Mediceæ, Franciæ Reginæ consobrinus, atque Antonij Marię Cardinalis germanus, qui mira cum significatione pietatis, è vita decessit, adiunxitq; se Philippo anno Pontificatus primo.

Frāciscus Maria Taurusius vir genere nobilis Philippo ad confessiones vti cœperat: idq; vbi primū aggressus est, flammam illico diuini amoris suo insidere pectori sensit, quę vsq; eò hominē stimulauit, quoad assiduis Philippi lacrymis, precibusq; eius animus mollitus totum se

illi

illi ut generosus erat, ac nobilis, anno huius seculi quinquagesimo sexto regendum, gubernandumq; tradidit.

Næque illud hîc silentio prætereundum, quòd volens Philippus in hoc, de quo loquimur viro formare Christum, illum in suum ducere cubiculû consueverat, ubi eo præsentè precibus dâns sese, eâ spiritus dulcedinem in eius animum instillare cœpit, ut in terra cum is esset, quædam tamen cæli, rerumq; cælestium gustum sibi percipere, totusq; dulcedine liquefieri videretur.

Constantius Tassonius genere clarus, sed sæculi voluptatibus implicitus, cum monita Beati patris, tota ferme obstupescente Ciuitate, amplectitur, eos, Philippo præceptore vsus, in virtute progressus effecit, ut sepius per hebdomadam sacramenta frequentaret, studia mortificationis, quæ vocant, libentissimo animo amplecteretur, valetudi-

naria

naria adiret, Philippi demum iussu sacerdos factus quotidie sacrum faceret: quam vitæ rationem ad vltimum diem cum integram, inuiolatamque seruasset, mortem obiit piam, & sanctam, videlicet vitæ consentaneam. Præter hos alij è prima nobilitate non pauci Philippum sequebatur, quorum nomina ne plus nimio crescat præsens oratio, de industria missa facimus.

Consueuerat Philippus profestis diebus, quos Christo genuerat, in tres, quatuorue distributos classes, ad Urbis valetudinaria mittere. Initio verò, quò eo magis ad id muneris suo inflammaret exemplo, cœpit ipsemet à prandio ægrotos in Nosocomijs adire, eosque alloquio, omni officio prosequi: quare exciti qui eum sequebantur, ea ipsa faciendi ardebant desiderio.

Quæ autem fuerit horum pietas in ægros ibidem decumbentes, ex vnus facto discetur. Io. Baptista Sal-

uiatus, cum in id totus esset in Xenodochio, quod Consolationis nomine vulgus appellat, rectà ad ægrum, vt eius sternat lectulum tendit, quem à cubili surgat, demissè rogat. Hic ille contemni se ratus; ne quæso Domine ait, mihi illudas pauperi: nouerat enim iste Ioannis Baptistæ licentiam, libertatemque viuendi; sed ignorabat mirificam eius animi mutationem, qua à terrenarum rerum affectu ad cælestium amorē toto pectore sese cōuerterat. Quid multa? permotus æger tanti viri auctoritate, sed multò magis humilitate, vt qui instaret, vrgeretq; vehementius, totus in admiratione defixus è strato exilijt.

Porro Ioannes Baptista id viuendi genus ea mentis firmitate, constantiaque ad obitum vsque retinuit, vt nunquam ex quo tempore primùm manum suam ad aratrum posuit, retro respexerit.

Ceterum in hoc capite de concur-

su,

su, illud silentio prætereundum non est, ea Philippum prudentia, dexterritateque eos, qui suæ se tradebant disciplinæ rexisse, ut in omnibus rebus, quamquam arduis, ac difficilissimis obedire gauderent, qui iuebantur. Nemo ad eum accessit unquam consilium aliquod ad animæ salutem petiturus, quin lætus ab eo recederet, frigidusq; in Dei amore filios assiduis precibus calefaciebat, nutantes confirmabat.

Predictiones.

Eodem Christi anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, mense Augusto, ægrotabat Gulielmus Bucca: quod ubi Philippus rescivit is, dixit, è præsentis morbo haudquaquam conualescet: nec verba in ventum iacta. Ager eo ipso oppressus morbo, eodem anno supremum diem sacramentis Ecclesiæ præmunitus expleuit.

Eodem, ut opinor, tempore cre-